





10.  
15  
1772  
MDC  
**DISSE**  
**IVRE ADCRES**  
**CENDI**  
**POST VENDITAM**  
**HEREDITATEM**

*ad l. 2. §. 1. D. de hered. vel act. vend.*


P. 208  
QVAM  
**PRAESIDE**  
**LVDOVICO GODOFR. MADIHN**  
**IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE**

DIE XV. APRILIS MDCCCLXXIX.

DEFENDET

A V C T O R  
**FRIEDERICVS CAROLVS BEYER**  
HALBERSTADIENSIS.

HALAE  
LITERIS CVRTIANIS.



discretatio iure civili

38

LVRH AD REGENDI

SCOTTANIDATI

COLLEGATIONE

DISCRETIONE

P  
2

44

discretio

THEODORO GODOLRI MADIINI

TRAVS ATRIVS 64 DECOTORIS

DIC DE DISCRETIONE MODERATIONE

DISCRETIO

AC TOTX

EDITIONES SCHOLIAS EPISTEL

DISCRETIONE MODERATIONE

XII

DISCRETIONE MODERATIONE

PERILLVSTRIARTAT  
EXCELLENTISSIMO QVE VIRO  
IOANNI AVGVSTO  
BEYERO

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI IN OMNIVM  
RERVM OECONOMICARVM BELLICARVM ATQVE DOMANIALIVM  
SVPREMO DIRECTORIO A CONSILIIS INTIMIS, COLLEGII  
REVISIONIS LITIGIORVM OECONOMICO  
CAMERALIVM DIRECTORI,

RELIQVA

EISEBRIAC CIVICAS DIBAEI

FRATRI SVO LONGE DILECTISSIMO

HASCE SVAS PRIMITIAS ACADEMICORVM CONATVVM

IN INTEGERRIMAE ATQVE PENITVS DICATAE

MENTIS TESSERAM

SACRAS ESSE CVPIT

OBSERVANTISSIMVS SINCERRIMVSQVE FRATER

FRIEDERICVS CAROLVS BEYER.

PERILLVSTRI  
EXCELLENTISSIMO QVE DOMINO  
DOMINO  
CHRISTIANO LVDOVICO  
LIBERO BARONI  
DE CORNBERG  
DYNASTAE IN LVPKE ET RVCKSDORFF  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI  
A CONSILIIS INTIMIS, REGIMINIS PRINCIPATVS  
HALBERSTADIENSIS PRAESIDI, CVRIAЕ TVTELARIS

DIRECTORI,

RELIQVA.

DOMINO SVO LONGE INDVLGENTISSIMO

HOC QVALECVNQVE

STVDIORVM SVORVM SPECIMEN

S V M M A A N I M I D E M I S S I O N E

EX VETERVM FORMVLA

C V L T O R D E V O T I S S I M U S

FRIEDERICVS CAROLVS BEYER.



§. I.

*Dicendorum ratio.*

Inueterata iam eorum hominum, qui Iurisprudentiam opera sua illustrare exornareque studuerunt, consuetudo, vt ea Iuris Civilis capita, quae aliqua veritatis specie, in multas quasi atque diuersas partes tractari possunt, nouo saepius et quasi renascente ingenii foetu ad disputationem proponant. Non dicam de illorum interpretum industria, qui sibi pragmatici videntur, licet saepius irato Apolline et relutante casta Themide longas enarrare videantur nugas. Eorum tantum versatus sum libris, qui sublimioris atque humanioris doctrinae post seculum CVIACIANVM exhibuerunt monumenta.

A

Alio-

Aliorum sane hominum curta supellecstile, mihi eo minus opus fuisse credo, in perscrutandis iuris ciuilis mysteriis, de capite quodam dicturo, ex puro nihilque mixto Iure Romano, ingenio felicissimorum sapientissimorumque legislatorum progenito, cum mihi solum in consortium, auxilium praesidiumque vocanda tantum esse haec artis nostrae decora recte duxerim, quae **CVIACIORVM, MERILLIOTORVM, CONTIOTORVM, NOODTIORVM** exemplo, aliam verae iurisprudentiae induerunt faciem. Illi decernant, qui nostra aetate honorem iurisscientiae tuentur, quorum suffragiis si fruerer, me omnem conaminis mei, licet exigui, fructum consecutum esse, grauiter laetabor. Specimine quodam proditurus, antequam Academiae valedicerem, inter alia quae mihi obnenerunt, praecipue incidi in illam quaestione venustiorum hominum in senatu quoque disputatam, vtrum ius ad crescendi post venditam hereditatem ad emtorem etiam pertineat, an vero vendita licet hereditate apud venditorem remanserit? Maximo omnis aeu*I Cto IACOBO CVIACIO Lib. XII. Obseru. Cap. XIII.* quem deinceps plerique et maxime **ARNOLDVS VINNIUS Lib. I. select. quaest. Cap. LV.** et **ANTONIVS FABER Err. Pragm. Dec. L. error V.** secuti sunt, placuit sententia, ius ad crescendi post venditam hereditatem etiam venditori vindicandam esse. Alii autem secundum emtorem item dandam esse existimant, quorum causam inter ceteros prolixo et ex instituto, spectabili argumentorum serie, instruere conatus est Beatus **GODOFREDVS LUDOVICVS MENCKENIVS** in Dissertatione de *Iure ad crescendi vendita hereditate ad emtorem pertinente,*

nente, Lipsiae 1747. edita, quae inter eius opuscula sub num. IX.  
 exstat. Ab utraque horum sententia distinguedo recedunt GER-  
 HARDVS NOODTIVS atque IOANNES VOETIVS uterque in  
*Comment. ad Pandectas sub titulo de haered. vel act. vend.* quo-  
 rum sententiam, etiam singulari argumentorum censu contra Arn-  
 noldum Vinnium selecto, tuitus est BALTHASAR BRANCHV in  
*Ohservationibus iur. rom. Part. I. Cap. II.* Vis argumentorum,  
 ab his doctissimis ICTis propugnatorum in eo ponitur, quod  
 quidem ius ad crescendi ipso iure omnino ad venditorem spectare  
 debeat, vendita licet sua hereditaria portione, sed emtorem id  
 ipsum emolumentum, quod vendor, ex portione deficiens co-  
 heredis ad crescente, consecutus est, deinceps a venditore, aetio-  
 ne emti eum in finem instituta petere possit. Tandem M. LYCK-  
 LAMA *Memb. Lib. VI. Eclog. IX.* alia plane incedit via, causam  
 iuris ad crescendi, inter venditorem hereditatis, et emtorem defi-  
 niturus, et quidem hac ratione, ut distinguat, vtrum hereditas  
 ab herede, postquam eam adierit eius autem possessionem non-  
 dum adquisuerit, vendita fuerit, an vero post ipsam hereditatis  
 possessionem adquisitam, emtio venditio sit celebrata. Priori in  
 casu, emtori hereditatis ius ad crescendi, quoniam iam in ipsa he-  
 reditate contineatur, in posteriori autem specie *id venditori tri-  
 buendum esse* censet, eam motus ob rationem, quod heres, in  
 hac specie non proprie hereditatem sed patrimonium suum, ad-  
 eoque nec plus nec minus, quam tempore celebratae emtionis  
 in eo fuit, vendiderit. Rationum argumentorumque vi atque vir-



rute, quae pro qualibet harum sententiarum in medium proferri possunt, bene perpensa, non possum vnam alteramue illarum amplecti. Cardo totius rei, in eo posita mihi videretur, duce **VLPIANO** in l. 2. §. 1. *D. de hered. vel act. vend.* utrum portio vacans, iam eo tempore adcreuerit venditoris portioni, quo celebra est emtio venditio, an vero post initum contractum beneficio iuris ad crescendi coheredis deficientis portio ad venditorem peruenerit. Priori in specie in castris eorum militabo, qui emtori omnia ex iure ad crescendi emolumenta adscribunt. Posteriori vero in casu contrariam amplectar sententiam, venditori ius ad crescendi vindicaturus, reiectis atque discussis **GERH. NOODTII**, **IOH. VOETII** et **B. BRANCHV** opinionibus. Nihil tamen, meis dissentendi rationibus, ab eorum celebratissimorum Virorum summa eruditione, detrahere cupio, ab eorum sententia discessurus. Id enim semper humanae cognitionis conditio fert, ut in uno alteroue capite, meliorem verioremque sententiam etiam illi profiteri possint, qui summorum virorum eruditionem summopere in omnibus ceteris admirantur, atque adeo non inuita Minerua, me periculum facere posse, omnino persuasus sum, in perorando aliquo iuris capite, ab aliis quidem, bene multumque disputato, sed nunc in aliam quasi formam ac indolem reformato. Sed non is sum, qui quae forsitan noua proferrem, proprio ingenio tribuam. Longe enim absum ab illo improbo hominum genere, qui aliena pro suis turpiter venditant, et quae ex aliorum schedis collegerunt absque grata au-

ctoris

5

Autoris nominatione sibi vindicare audent; sed potius me ea, quae  
in hisce pagellis praestiti, vti omnia quae in me sunt solidioris do-  
ctrinae, quamuis adhuc minima, deuenerando Praeceptor*i* Illustri  
MADIHNIO, cuius scholae per tria semestria interesse mihi contigit,  
vnice debere, lubens confiteor, Magnoque Viro grata mente acce-  
pta fero.

§. II.

*Expositio l. 2 §. 1. D. de hered. vel act. vend.*

Non disputabo de iuris ad crescendi indole, nec mihi iam  
euoluenda sunt coniunctionum genera, nec spectandae variae di-  
uersaeque iuris ad crescendi rationes. Ea omnia, quoniam argumenti  
mei causam directe non concernunt, ex systematicis iuris scientiae  
libris praepono, et quidem secundum eas notiones principiaque,  
quae de iure ad crescendi eiusque variis causis atque generibus dedit  
explicata, Incomparabilis longeque supra laudes nostras positus Vir,  
Illustris MADIHNIVS in *Inst. Iur. Ciu.* §. 305. seq. quae mihi adpli-  
canda sunt ad praesentem, quam de iuris ad crescendi ratione dis-  
putaturus sum, causam, inter venditorem atque emtorem heredita-  
tis. Ea omnino est iuris ad crescendi ratio, ut emolumenta, quae  
coheredi venditori ex portione ad crescente aduenire possunt, post  
venditam hereditatem, tam ad emtorem quam ad venditorem per-  
tinere possint. Totius negotii causa solam facti quaestionem con-  
cernit, quid nempe inter emtorem et venditorem in ipso celebrato  
contractu actum fuerit, atque adeo ex ipsius emtionis venditionis  
interpretatione tota horum contrahentium ventilabitur causa. Pro-

A 3

inde

inde ea mihi potissimum spectanda est interpretandi ratio, quae  
 placuit VLPIANO l. 2. §. 1. D. de hered. vel aet. vend., qua penitus  
 introspecta, facili plane negotio, emolumentorum ratio, quae ven-  
 ditori hereditatis, ex iure adscendi obuenire possunt, definienda  
 est. Postquam ICtus pr. huius l. 2. normam definiuit causae,  
 quae inter emtorem venditoremque hereditatis agitur, ita nempe  
 statuendum esse, ut neque amplius neque minus hereditatis emtor  
 habeat, quam apud heredem futurum esset; §. 1. dict. leg. sequenti  
 oratione pergit: *In hereditate vendita vtrum ea quantitas spectatur,*  
*quae fuit mortis tempore: an eo quae fuit cum aditur hereditas:*  
*an eo quae fuit cum hereditas venumdatur, videndum erit.* Et verius  
 est, hoc esse seruandum quod actum est. Plerunque autem hoc agi  
 videtur, ut quod ex hereditate peruenit in id tempus quo venditio  
 fit, id videatur venisse. Hoc fragmentum compilatores Digesto-  
 rum decerpserunt ex VLPIANI lib. quadragesimo nono ad Sabinum.  
 Si hoc fragmentum quod est in dict. l. 2. de hered. vel aet. vend.,  
 comparamus auxilio inscriptionum, cum ceteris fragmentis, ex  
 eodem VLPIANI Libro quadragesimo nono ad Sabinum desuntis, ut  
 expressa sunt in III. HOMMELII Palingenesia Tom. III. pag. 583. seq.,  
 satis adparet, ICtum in hoc libro tractasse doctrinam de interpreta-  
 tione stipulationum pactorumque contractibus adiectorum. Praeter  
 dict. l. 2. D. de hered. vel aet. vend.. tria alia fragmenta nempe  
 l. 3. l. 38. D. de V. O. et l. 178. D. de V. S. ex eodem ICti libro  
 Digestis Iustinianis inserta sunt. Cum igitur ICtus in toto hoc  
 libro, de interpretatione obligationum contractarum doctrinam

expo-

exposuerit, satis ample obligationem venditoris ex emtionis contractu super hereditate erga emtorem disputauit, et praecipue in §. 1. dict. l. 2., quaestione pertraetauit vtrum ea quantitas hereditatis quae fuit mortis tempore, an ea quae fuit cum adiretur hereditas, an denique ea quae fuerit quantitas hereditatis tempore celebratae emtionis, ad emtorem pertineat. Et tum generalem supeditat decidendi normam, conuentioni initiae standum esse, si nempe de ea quantitate inter contrahentes conuentione aliquid definitum fuit, verbis his *et verius est, hoc esse seruandum, quod actum est.* Sed si de ea quaestione quanta nimurum hereditas, quantaque ex ea emolumenta ad emtorem peruenire debeant? nihil expresse inter contrahentes definitum fuerit, ICtus secundum naturam venditionis eam amplectitur sententiam, quod id venditum fuerit ab herede, quod ad eum ex hereditate peruenit in id tempus, quo venditio celebrata est. Hanc sententiam ICtus satis expressit his verbis *plerumque autem hoc agi videtur ut quod ex hereditate peruenit in id tempus quo venditio fit, id videatur verissimum.* Quae si ita sint, ponamus sequentem speciem. Caius et Titius coheredes sunt instituti ex aequa parte. Caius pure, Titius vero sub conditione institutus erat. Pendente conditione Caius hereditatem suam vendit Sempronio. Post venditam hereditatem deficit conditio Titio coheredi adscripta. Deficiente hac conditione portio Titii coheredis nunc deficientis iure ad crescendi deuoluitur ad alterum coheredem Caium, qui suam hereditatem Sempronio vendidit. Iam igitur quaestio suboritur, vtrum emolumenta ex portione Titii,

Caio

❧

Caio venditori ad crescente, ad emtorem Sempronium, an vero ad ipsum venditorem Caium spectare debeant? Tota igitur causa, quae horum emolumentorum ratione inter venditorem et emtorem agitur, secundum rationes decidendi ab *VLPIANO dict. §. 1. l. 2.* prolatas sequenti ratione definienda est. Ipsum enim ius ad crescendi tantum pertinet ad coheredem hereditatem adeuntem, adeoque ad Caium venditorem quippe qui ipsa hereditatis venditione hereditatem adierat. Vulgati iuris est, eum qui semel heres factus est citra restitutionem in integrum non posse desinere esse heres, et quamvis ipsas res corporaque hereditaria ex sua portione non habeat coheres vendor, pretium tamen in locum rerum emtarum successit, atque adeo per pretium ipsum habet hereditatem venditam. Quare tantum de eo sermo est, vtrum absque augmento pretii, emolumenta ex portione hereditatis venditori ad crescente, emtor hereditatis petere possit, ab ipso venditore: Et in hac quaestione *Vlpianea* ex doctrina sequenti ratione causa venditoris emtorisque dirimenda est. Aut enim iam tempore emtionis celebratae portio coheredis deficientis beneficio iuris ad crescendi ad venditorem peruenit, aut demum post illam emtionem celebratam peruentura est. Priori in casu vel expresse et restrictive tantum vendita est hereditatis portio, quam vendor ex institutione haber, vel minus. Priori in casu ad quaestionem propositam respondemus cum *VLPIANO*, *hoc esse seruandum quod actum est*, atque adeo omnia plane emolumenta portionis hereditariae venditori ad crescentis, ad eum ipsum solum pertinere. Posteriori

autem

¶

autem in casu tam emolumenta hereditaria, quae venditor in sua  
portione ex ipsa heredis institutione, quam ea quae ex portione  
ad crescente, beneficio iuris ad crescendi habet, ad emtorem per-  
uenire debent, et quidem ex doctrina Vlpiani, *ut quod ex here-  
ditate peruenit, in id tempus quo venditio fit, id videatur ve-  
nisse.* Verum enim vero si portio deficients coheredis, post ven-  
ditam iam hereditatem ad venditorem peruentura sit, sequenti ra-  
tione discernendum esse Vlpiani doctrina iubet. Aut enim expresse  
inter venditorem atque emtorem id actum fuit, ut omnia plane em-  
olumenta hereditaria, quocumque modo ad venditorem spectent,  
emtori vendita sint, aut de eo nihil expresse conuentum fuit. Illo  
in casu emolumenta ipsa ex portione ad crescente iure suo sibi vin-  
dicare posse emtorem, natura conuentionum adiectarum plane de-  
poscit. Hoc autem tandem in casu, emtor frustra periturus est em-  
olumenta hereditaria, ad venditorem ex portione ad crescente iuris  
ad crescendi beneficio peruentura, quoniam hoc in casu actum esse  
videatur, ut id ad emtorem pertineat, quantum ex hereditate per-  
uenit ad venditorem, in id tempus quo venditio facta. Quae si apud  
animum nunc rite perpendantur, sua facilitate ipsa luculenter con-  
stare credo, quantum a veritatis tramite aberrauerint, disputantium  
de hac re interpretum sententiae, qui de ipso iure ad crescendi ven-  
dita hereditate differuerunt, illudque aut venditori aut emtori vin-  
dicarunt. Nemo enim qui naturam hereditatis, qui indolem iuris  
ad crescendi, atque coniunctionum varietatem iure civili vel leui  
doctrina degustauit, quaestionem de ipso iure ad crescendi mouere

B

pot-

❧

poteſt, cum iuris ciuilis principia indubia id iubeant, quod emor per emitionem hereditatis non fieri poſſit heres, ſed tantum de emolumenſis iſpis, ex portione adcreſcente capiſſendis, inter emo-rem atque venditorem cauſa agitari poſteſt, quae igitur ex ſolo con-tractu pactionumque adiectarum tenore, aut principiis eas inter-pretandi vnicē dirimenda eſt.

### §. III.

#### *De commodiſ ex ſuſtitutione pupillari venditori obuenientibus.*

Similiſ Vlpiani doctrina §. 2. diſt. l. 2. D. de hered. vel act. vend. me ducit ad illam ſpeciem, breui ſaltim oratione expla-nandam, quum ICtus de emolumenſis, venditori ex ſuſtitutione pupillari obuenientibus, traçtauit his verbiſ: illud poſteſt quaeri, ſi etiam impuberi ſit ſuſtitutus is, qui vendidit hereditatem teſtato-ris, an etiam id, quod ex impuberis hereditate ad eum qui ven-didit hereditatem peruenit, ex empto actioni locum faciat. Et maiis eſt, ne veniat: quia alia hereditas eſt. Plane ſi hoc acutum fit, dicendum erit etiam impuberis hereditatem in venditionem venire. Maxime ſi eam delata impuberis hereditate venierit here-ditas. Species quam ICtus traçta haec eſt: In ultimo morien-tis teſtatoris elogio ſcriptum erat, filius meus impubes et Caius heredes ſunt, qui etiam heres eſto, ſi filius impubes ante pu-bertatis annos deceſſerit. Caius hereditatem ſuam vendit Titio; de-incepſ, filius teſtatoris intra impuberis annos deceſſit, atque adeo

adeo nunc filii impuberis hereditas, iure substitutionis peruenit ad coheredem Caium institutum. Nunc emtor Titius petit a venditore suo Caio emolumenta omnia hereditaria, illi ex substitutione pupillari obuenientia. Proinde quaestio iam oritur, vtrum emtor iure suo actione emti petere possit, a venditore, vt illi praefter quantum ex hereditate impuberis consecutus est? ICtus, si totam eius mentem sententiamque, quasi vno complexu contemplatur sumus, causam totam distinguendo dirimit. Aut enim in ipsa venditione actum est, vt impuberis hereditas quoque vendita sit emtori, aut non. Priori in specie secundum conuentionis tenorem, eam etiam impuberis hereditatem, ad emtorem pertinere, recte meritoque adfirmat. In posteriori autem specie item secernit, vtrum emtio iam celebrata fuerit, antequam delata fuerit venditori impuberis hereditas, an vero post emtionem initam ei deferatur. Priori in casu, causam ICtus definit secundum emtors intentionem, ex regula illa, quam §. I. dilucide expressam posuit, id nempe inter emtorem et venditorem agi videri, vt quod ex hereditate peruenit in id tempus quo venditio fit, id videatur venisse. Posteriori autem in specie causam pro venditore dirimit, ea ex ratione, quoniam alia est hereditas impuberis, et alia hereditas ipsius testatoris substituentis, atque tantum inter emtorem atque venditorem, de testatoris hereditate non vero de alia impuberis hereditate conuentum videatur. In hoc ultimo quidem casu ICtus specialem decidendi rationem amplectitur, quod impuberis hereditas alia sit hereditas ac hereditas testatoris, sed



ICtis antiquis solemnam fuisse morem, in speciebus decidendis sibi propositis, rationem amplecti proximam, omnes illi bene intelligunt, qui iurisscientiae veterum ICtorum rationes sibi perspectas reddiderunt, et quidquid est venustrorum hominum. Verum si quis inde ad contrariam rationem in iure ad crescendi argumentari velit, eum certe iniustitiae accusabo. Vnius rei plures esse possunt causae, et vnius positio non inuoluit alterius exelusionem in principiis, quae uno reguntur fundamento, vnaque communi terminantur ratione. Proinde sua sponte corruunt, ea quae ex hac Vlpiane ratione ad contrariam iuris ad crescendi causam argumentari ausus est,  
 B. BRANCHV in fine Cap. 2. Obseru. Iuris Rom. P. I. pag. 9.  
 Et praeter ea supersedere possumus, eiusdem alioquin elegantissimi viri emendatione lectionis, qui pro NE VENIAT, ut Florentiae legitur, NE FACIAT legendum esse nobis persuadere cupit.  
**VLPIANVS** enim quaestionem mouet, vtrum etiam id quod ex impuberis hereditate ad eum, qui vendidit hereditatem, PERVENIT, ex emto actioni locum faciat? et maiis est, NE VENIAT, id est non venit ad venditorem ita, ut actioni ex empto locum faciat. Mihi certe oratio redditione carens in hoc iuris responso Vlpiano latere viderut, idemque schema *avvraenobato* etiam hoc loco obuersatur, quod ICtis Romanis et praecipue Vlpianam vehementer se insinuauit.

§. IV.

## §. IV.

*Contra sentientium argumenta refutantur.*

Jam satis expositis, quae nostram sententiam confirmant argumentis, ut et contra sentientium rationes profligemus, nobis superesse videtur. Prima ergo, inter eos quorum nomina supra dedimus celebratissimos ICtos, res nobis erit cum G. NOODTIO, elegantiorum recentioris aevi ICtorum facile principe. Peroravit summus vir suam de nostra quaestione opinionem, in *Commentario ad Digesta sub LIB. XVIII. Tit. IV. de hered. vel act. vend.*, eaque qua prae multis excellat elegantia, ipso iure ad crescendi tantum heredem frui posse dedit demonstratum. Sed mox a recto veritatis tramite aberrare videtur, cum emolumentum, ope iuris ad crescendi ad heredem perueniens post venditam ab eo hereditatem, actione emti ab emtore peti posse censem, rationibus eum in finem adductis, quae non dicam plane futilis, attamen nullius momenti sunt. Miratus sum Magnum virum *I. 2. §. 1. et 4.* pro sua sententia allegasse, et quidem his verbis in medium adductis: *Oportet emtorem habere non plus et non minus, quam vendoris fuisset, quocumque tempore peruererit, siue mortis defuncti, siue aditionis, siue venditionis, AVT DEINCEPS.* Frustra enim postrema verba in dict. §. quaeres, quorum sensum a NOODTIO plane alienum, supra satis explicauimus. Nec maiis nos mouet alterum argumentum, quod ex §. 18. dict. I. NOODTIVS noster repertit. Largimur enim emtorem heredis vicem obtinere, sed obtinet illam intuitu ipsius portionis, istarumque rerum quarum per emtionem consecutus est dominium,

adeo, ut vti heres ad aes alienum, suaे portioni adnexum, soluere erat obstrictus, et emtor deinde illud praestare obligatus sit. Si enim semper in lege aliqua explicanda, contextus ratio est habenda, certe illud et nostra lex desiderat. Quo facto adparebit, VLFIANVM, qui in initio legis, generali regula semel determinauerat, *vt si nihil inter contrahentes actum, id venditum videatur, quod ex hereditate peruenit, in id tempus quo venditio fit, postea retenta eadem haec regula generali, de singulis casibus disputasse, adeoque quod in eis disposuit, semper de portione ipsa, quam vendor tempore emtionis initi actu habuif, intelligendum esse.*

Secundum inter dissentientes locum occupat M. LYCKLAMA, qui in *Memb. Lib. VI. Ecl. IX.* sequenti distinctione quaestionem nostram decidendam esse censet. Duos casus a se iudicem distinguit, *vtrum heres posteaquam possessionem rerum hereditiarum iam natus esset, illas vendiderit, aut non: Priori in casu pro venditore posteriori autem pro emtore pronunciat.* Sed miramur hanc viri egregie docti distinctionem, quem tamen nosse oporterer, ipsarum rerum hereditiarum possessionem non desiderari, *vt illae cum patrimonio heredis coniungantur, sed per quamcumque hereditatis acquisitionem, singularum rerum hereditate comprehensarum dominium heredi adquiri.* I. 37. D. de aquir hered., patrimoniumque ipsius heredes cum patrimonio defuncti in vnum quasi corpus transformari. Tertius nobis aduersarius est. G. L. MENCKENIVS, multis quidem in diff. cit. contra nos disputans, attamen non invincibilis hostis. Duo sunt argumenta, quantum ego perspicere potui, quibus

bus, inter elegantiores ICtos non infimo gradu positus vir,  
 nobis ostendere voluit, ius ad crescendi post venditam here-  
 ditatem emtori esse tribuendum, quorum vnum ex iuris  
 ad crescendi, alterum autem ex ipsius emtionis venditionis  
 indole repetere voluit. Vtrumque non magnam speciem pree se  
 fert et ad thesin probandam non sufficit. Post Noodtiorum,  
 Fabrorum, Boeckelmannorum aliorumque magni nominis ICtorum  
 tempora, acta certe agerem, sin multis iam ostensurus essem, ipsam  
 iuris ad crescendi indolem penitus prohibere, ut illud emtori tribua-  
 mus. Cuius enim solidioris iuris cognitionis studioso, prima haec  
 principia non fugiunt, et si quis esset illarum ignarus, apud supra  
 nominatos viros, legibus atque solidissimis rationibus confirmata ea  
 reperiet. Negando ergo tantum contra Menckenium litem contestator.  
 Nego enim et pernego arbitriam definitionem quam in §. 2. diff.  
 adduxit, nulla legum auctoritate subsuntam, sed potius illis ipsis  
 legibus, quas in eod. §. allegauit in totum refragantem, nego-  
 que omnia arbitria quae ex illa deduxit. Iam negatiuae propo-  
 sitionis probationem nemo a nobis exspectabit, quem ista  
 veritas non fugit, ICtum sine lege aliquid statuentem, et pro-  
 lubitu optimo liberoque arbitrio sibi notiones formantem, plane au-  
 diendum non esse. Propero ergo ad alterum Menckenii argumen-  
 tum quod in §. 13. latius exposuit. Largior consultissimo viro emtionem  
 hereditatis nullam exceptionem a regula constituere, quod post per-  
 fectam emtionem venditionem omne periculum et commodum ex  
 re vendita, in emtorem transeat. Sed quid est quaeso, quod per heredi-  
 tatem



tatem vendatim emtori venditum videtur? id quod ex hereditate per-  
uenit, in id tempus, quo venditio fit §. 1. l. nostrae 2. Quod com-  
modum atque incommodum ex illo prouenit, ad emtorem spectat,  
non autem quod plane tempore venditiones in hereditate, nondum  
fuit, sed ex post facto adcrescit. Veritatem huius dictio[n]is antea  
disputata confirmant, nec quisquam, qui naturam Emtionis ven-  
ditionis alaci animo perscrutatus est, singulare quoddam in ea inue-  
nit, cum potius principium omni emtioni commune sit, vt sin  
nihil de re vendita determinatum, id venditum praesumatur, quod  
de ista re, tempore Emtionis Vendationis initiae, penes vendito-  
rem fuit. Non opus esse iudico, vt prolixius dissentientium a  
mea doctrina interpretum, argumenta, reuellerem, quoniam ex  
iis omnibus, quae §. 2. et 3. in ipsa legum iuris civilis interpre-  
tatione, copiosius satis disputauimus, omnes sententiae contrariae  
sua sponte labefactantur. Quare in praesenti dixisse  
sufficiat

T A N T V M.

P R A E-

PRAENOBIILLISSIMO ORNATISSIMOQUE  
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

GEORGIVS SAMVEL MADIHN

IVR. PROF. PVBL. ORD.

Quantum TVA, PRAESTANTISSIME BEYERE, *mibi* se  
probauerit doctrinae copia, ingenii venustas, TVARVM ex-  
cellentium virtutum splendor, morumque, quam in TE cum omni-  
bus bonis obseruauit, elegantia, nolo iam TIBI commemorare  
copiosius. Et facile credo TE, qui meum animum ingenuum  
TIBI consecratum babes perspectum, nec eiusmodi orationem a me  
exspectare. Vidi in TE industriam solertiamque summam, pree-  
claros in iuris scientiam impetus, TVVM candorem, TVAM probi-  
tatem, TVAM comitatem in consuetudine, qua mibi quotidie fere  
frui licuit, Hem! quanta, decora, que varo in aliis, ipso

C

ado-

adolescentiae flore, effulgere solent, in TE semper admiratus sum.  
Est iam excellens BEYERIANI nominis in nostris terris veneratio,  
latissimeque diffusa TVAE gentis gloria, ut a BEYERIS iam omnes  
exspectent eximia suaque ipsa ex praestantia, honore atque elogio  
singulari celebranda, aliisque ad exempli instar commendanda.  
Hanc autem TVAM gentem illustrem ex TE, DIGNISSIME BEYE-  
RE, nouum decoris cumulum augmentumque aliquando esse ha-  
bituram liquido plane augurio praesagio ominorque. Gratulor  
TIBI egregias has Virtutes, gratulor TIBI tam laudabiliter tam-  
que feliciter exantatos labores, quorum luculentum iam nobis  
exhibes specimen TVA plane opera, absque ullius adiumento con-  
scriptum elaboratumque, documentum certe singularis TVAE Iuris  
scientiae bonarumque litterarum doctrinae aptissimum. Vale AMAN-  
TISSIME BEYERE, secundo auspicioque omnis vitae cursu vtere,  
animumque Tuum ergo me retine. Dabam Halae die XIV. April.  
MDCCCLXXII.






**ULB Halle**  
002 169 592

3



sb





10  
15  
1972  
110c

DISSESSATIO IVRIS CIVILIS  
DE  
**IVRE ADCRESCE**  
**NDI**  
**POST VENDITAM**  
**HEREDITATEM**

ad l. 2. §. 1. D. de hered. vel act. vend.

P. 208  
QVAM  
**PRAESIDE**  
**LVDOVICO GODOFR. MADIHN**  
IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE

DIE XV. APRILIS MDCCCLXXII.

DEFENDET

A V C T O R  
**FRIEDERICVS CAROLVS BEYER**  
HALBERSTADIENSIS.

HALAE  
LITERIS CVRTIANIS.

